



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuissimè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1646

De defectibus in celebratione Missarum occurrentibus. I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40214

COMMENTARIA IN RVBRICAS MISSALIS ROMANI.

PARS TERTIA.

De defectibus in celebratione Missarum occurrentibus.



SACERDOS celebraturus, omnem adhibeat diligentiam, ne desit aliquid ex requisitis ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum. Potest autem defectus contingere ex parte materiae consecrandæ, & ex parte formæ adhibendæ, & ex parte ministri conficientis. Quidquid enim horum deficit, scilicet materia debita, forma cum intentione, & Ordo Sacerdotalis in conficiente, non conficitur Sacramentum. Et his existentibus, quibuscumque alijs deficientibus, veritas adest Sacramenti. Alij verò sunt defectus, qui in Missæ celebratione occurrentes, etsi veritatem Sacramenti non impediunt, possunt tamen aut cum peccato, aut cum scandalo contingere.

O Prima est diuisio in defectus substantiales, & in accidentales. Substantiales in tribus contingunt, vel in materia, vel in forma, vel in intentione Ministri: quæ tria sunt necessaria ad substantiam Sacramenti. Accedit verbum cum intentione ad elementum, & fit Sacramentum. Accidentales multi esse possunt, neque ad certum numerum reduci possunt.

Collegit hos defectus in Missa ex sacris Theologis, & in Missalem librum transtulit nescio quis, anno 1557. Venetijs impressum. Pij verò V. & Clementis VIII. auctoritate recognitum Opus, quis ambigat, non prodijisse tandem numeris omnibus absolutum? adiecimus nonnulla ex modernis Theologis non contemnenda.

De defectibus materiae. II.

Defectus ex parte materiae possunt contingere, si aliquid desit ex ijs, quæ ad ipsam requiruntur. Requiritur enim, ut sit panis triticeus, & vinum de vite: & ut huiusmodi materia consecranda in actu consecrationis^a sit coram Sacerdote.

Bb 3

a Sit